Damnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum habet.—

jor bonum ex dispensatione oritur.—

à Commutare votum in bonum melius et saluti suae, melius potest.

quis metu, vel gravis mali cavet, valetne?

, quia vovit coactus et non libere.—

quis voveat exterius, et interius non habeat propositum

plendi, valebitne tale votum?

n: quia vovens habet contrariam ~~conv~~ intentionem voto, et

cat mortaliter sic eludendo Deum.—

letne Episcopus commutare Votum Castitatis ad certum

pus emissum et votum de non contrahendo?

lest, et in illis dispensare ex justa Causa, pro ceser=

~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio

conversatione voventium

a dispensans in voto castitatis, dispensatne in eo ne non tantum

eitu [illegible] oni et actuum ejus?

jus [illegible] ensat, sed solum in parte se [illegible]

Ktorzy porwanych, ktorzy

iakową nieprawość przyjmili

Ktorzy ~~odkazzajaci~~ porwanych,
ktorzy sobie iakąs nie prawość
przyjęli, teraz gwałtem sprzeciwiają się
za nim, aleby karą smierci nie był
karany

M. X. 14

DISCURSUS
DE
BALSAMO

Quem
Jehovâ Juvante
JUSSU MAGNIF. DN. RECTORIS
ET AMPLISS. SENATUS
In Almâ Borussorum
PRO LOCO EXTRAORDINARIO
In Professione Medicâ Obtinendo
Placido Eruditorum Examini Sistet

GEORG - FRIDERICUS WAGNERUS. DANTISC.
Med. D.
RESPONDENTE
CHRISTOPH. WOSCHKIO
Insterb. Prussô Med. C.

Ad Diem XVI. Decembr. Anno MDCLXXXIII.
In Auditorio Majori
Horis ante & pomeridianis

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO

S. R. I. ARCHI-CAMERARIO

ET

PRINCIPI ELECTORI

PRUSSIÆ MAGDEBURGI JULIÆ CLIVIÆ
MONTIUM STETINI POMERANORUM
CASSUBIORUM VANDALORUM
in SILESIA CROSNÆ & CARNOVIÆ

DUCI

BURGGRABIO NORIMBERGENSI
PRINCIPI HALBERSTADII MINDÆ AC CAMINÆ
COMITI MARCÆ AC RAVENSBERGÆ DOMINI RAVENSTEINII NEC NON TERRARUM LAUENBURG & BUTAW &c. &c. &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

PRINCIPI OPTIMO
PATRIÆ PATRI

D. D. Consecrat
Sereoitatis S.
Humillimus Cliens
GEORG-FRIDERICUS WAGNERUS
Dantisc. Med. Doct.

NOtum illum Ovid. L. 1. de Pont. Eleg. 4. Versiculum,

Non est in Medico semper relevetur ut æger;
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Ludovicus â Frundeck Tract. de Elix. s. Balf. Arb. Vit. p. 14. pro more suo & Suorum, *quorum Ante signani Epitaphium, quod Salisburgi in Nosocomio, quem non debellat affectum, cum interim Ipse morbo ex Intemperie contracto perq; aliquot tempus anteà convulsus diem obierit Senn. in Cons. & Diss. Gal. & Chym.* tumidissimè sic invertit:

Est est in Medico Semper relevetur ut æger;
Nec unquam doctâ plus valet arte malum.

Verùm effectus non respondit Promissis, & quidem ut alios taceam, in propriâ ipsius Personâ: Veneno enim, cujus se Herculem ἀλεξίκακον aliàs jactabat, à quibusdam tentatus, eidem miserè succubuit, ut a fide dignis refertur: *quòd idem quidem de Paracelso statuunt* Senn. l. c. Attamen omissis his, cuilibet fatendum erit, Majores Nostros in percurandis affectibus, nobis quantò feliciores fuisse? nullam equidem, ut puto, mecumq; alij, aliam ob causam, nisi quod instructi erant Simplicibus; *Composita & Præparata lubens omitto, quorum quædam vix millesimæ conveniunt constitutioni, & exin fallaciæ; quædam etiam, præsertim Chymica, planè in Classem Non-Entium, vid. Rolfin. in Tract. de Non Entibus, releganda sunt:* Simplicibus dico, & pluribus, & nobilioribus; quorum defectum nos deploramus, aut quibus, sicubi habemus, ob mangonia tamen fidere non tutum ducimus. Inter deperdita illa, aut adulterata saltem, ut termino technico utar, non

ultimum sibi, Balsameum Arabum succum, *olim tanti habitum ut & Vespasiano devictâ Palæstinâ, in exornando Triumpho suo, non minimum contribuerit. Al. ab. Alex. Gen. Dier. l. 6. c. 6. pag. 334.* venditare locum quem latet? De quo, ne & Nomen ipsum intercidat, quod hodiè solum Officinæ pleræque in Substitutis & Compositis quibus dam retinere videntur, quædam in præsenti ex Authoribus collecta, in medium proferre consultum duximus. Sed in modum tantùm σκιαγραφίας: Perfectiora & Absolutiora in posterū Jehovâ Juuante promittimus.

Etymon itaq; Balsami, *vel Palsami, Cœl. Rhodig: Lect. Antiq. L. 18. c. 35. p. 1031. lit. a. quod Arabibus Balassan, & Balsan, Brun. in Lex. Med. Castell. pag. 163. Græcis βάλσαμον Diosc. L. 1. c. 18.* Orientalium L. L. periti, unanimi Consensu ex Hebraicis deducunt, & quidem â voce Bel sive Baal: *quæ in Sacrâ Scripturâ & locis; ut Baal-pharasim vid. Heidm. in Palæst. c. 2. art. 102. & Hominibus ut Gideoni, ob Destructionem Baalis, Jerub-Baal Jud. 6. 25. 7. 1. 8. 29. 1 Sam. 12. 11. & Reginæ Jesabel Patri Regi Sidoniæ Et-Baal 1. Reg. 16. 31. & Idolis præsertim Judæorum, quæ â Moabitis & Ammonitis jure quodam hæreditario sibi vendicarunt, assignatur. Ejus Idolotatriam, in quam post mortem Josuæ incidebant Judic. 2. 11. 13. & ob quam inimicis suis tradebantur vide passim. Excidium ejus & Sacerdotum ejus, qui inter sacrificandum mire se excrucibant, lege 1. Reg. 18. 2. Reg. 10. & 23. totam Historiam Baalim accuratè descriptam apud Micræl. in Syntag. Hist. Eccles. l. 1. c. 66. in Cœtu malignantium: de immutatione verò nominis, per παρονομασίαν â DEO & Judæis factam apud Voss. Instit. Orat. L. 5. c. 5. part. 3. pag. 322. vid. etiam Hieron. in Esai. c. 15. & Arnold. Montan. in Desc. Japon. p. 250.* quod Dominus significat, & originem proculdubiò a Belo accipit, qui DEorum numero adscriptus Baal dictus est: vid. præter alios Kemp in Diss. de Oscul. 7. art. 8. p. 267. Hinc Balsamum quasi Dominus Remediorum

Hoffman.

Hoffman. de Medic. Offic. L. 2. c. 30. vel Dominus Cœli secundum August. vel Princeps Aromatum Smet. Miscell. Med. u. 9. c. 106. p. 497. vel Dominus Olei Bros. in Ortoep. c. 1. p. 12. Non verò ut ridicule Paracelsus ex Germanicis Particulis Bald-zamen quasi succus vulnera citò conglutinans Brun. l. c. *Dicitur etium Cassamum verum*, *Balsamum Syriacum rutæ folio*, *Balsamum Ægyptiacum lentisci folio*, *Schrœd. Pharm. FF. L. 4. p. 48. p. 24. Balsamæleum*, *Balsamum de Mecha Mœb. Instit. Med. L. 5. Part. 3. S. 2. c. 4. p. 687.*

Est verò πολύσημον vocabulum hoc Balsami; Præterea enim quod Succus ille Arabicus eò designatur, de quo nos in præsenti; denotat 1. Varios Succos Nativos; ut de Tolu &c. quorum seriem vid. ap. Schrœd. L. c. L2. c. 18. p. 115. & de quibus nos inferius. 2. genus odoramenti crassiusculi Id. l. c. L. 2. c. 40. p. 155. 3. liquores ex gummi & resinis cum Sp. V. dstis, ad extrinsecus illinendum Id. ib. 4. Inunctorium liquorem, oleo crassiorem, limimento liquidiorem Id l. c. L. 2. c. 87. 5. Θia fusa & liquata, ut Ball. Samech Paracels. Hel. L. Blas Hum. par. 40. pag. 151. & L. Scab. & Ulce: Schol. par. 36. pag. 261. 6. Singulares quasdam præparationes Schrod. l. c. L. 1. c. 3. p. 6. & L. 2. c. 41. p. 156. Zvvelff. Ph. Aug. p. 442. & seq. Ph. Reg. p. 69. Anim in Ph. Reg. p. 31. & seq. 7. Humores, & Spiritus corporis Humani. 8. Bilem flavam, quam Blas. Medic. Gener. p. 1. L. 1. s. 2. subs. 1. c. 2. sangvinis Balsamum dicit, cui inter cœteros maximè renititur Brun. l. c. 9. denotat apud Paracelsistas internè sumptum, substantiam corporis temperatissimam, corpus tutissimè conservans, unde & gluten corporis, in quo Horst. Diss. de Anat. Vit. & Mort. defendere conatur latere principium generationis nostræ, sed an satis validè, ipse viderit; quod tamen planè eliminat Bertin in Medic. Method L. 18. c. 5. p. 477. Lit. E. 10. externè sumptum, Therebinthinam, ut nominant, nullam ignis violentiam passam; ut de

Balſamo illorum Mumiæ Elementaris, Philoſophorum, & re-reliquis taceam. II. tandem deſignat ignem ritè cum frigido contemperatum, ſ. Balſamum Naturæ, quo terra impræ-gnata, & cujus maximè benificio viperæ qvotannis exuvias ponunt. Baſſo Phil. Nat. L. de Actio: art. 4. p. 437. ſed litem hanc non noſtram facimus, Verum ad Ejus Deſcriptionem progredimur.

Quam cum nullibi exactam invenimus, ob diverſam Authorum de Illo opinionem, aliqualem ſaltem, ex univerſis, quos quidem legere licuit, collectam, hìc proponimus.

Dicimus itaq; eſſe Balſamum Succum temperatum, ex Arbuſculæ Arabicæ cortice vulnerato collectum, colore ſubflavum, odore fragrantiſſimum, conſiſtentiâ glutinoſum, ſapore ſub amarum, & acrem, & pondere levem; cujus beneficio tam externè qvàm internè adhibiti, pleræque citò tutò & jucundè curantur.

Succum I. dico, *licet & ſub liquore quibusdam veniat Mœb. Inſtit. Med. L. 5. P. 3. S. 2. c. 4. p. 687. nimis tamen generale hoc, quia ſub liquore omnia liquida, ſub ſucco vero, liquida nativa tantum intelliguntur. Jonſton. in Not. Reg. Veg. c. 7. p. 67. lacrymam dicit, ſed itidem nimis generaliter; quià ſub lacrymâ & gummi & reſinæ comprehendi ſolent; quod & reſpondemus illis, qui cum Steph. Gerlach. in Diar. Turc. p. 226. ſudorem nominant:* in reſpectu conſiſtentiæ ejus intermediæ, inter bituminoſam & aquoſam ſubſtantiam. Card. d. Subt. L. 8. p. 553. & 557. Salm. in Not. ad Pancir. de Reb. deperd. p. 51. 52. Coel. Rhod. Ant. Lect. L. 18. c. 35. p. 1031. lit. A Gal. de Simpl. Med. Fac. L. 6. p. 61. Smet. Miſcel. Med. L. 9. c. 106. p. 497. *nihil ſoliciti, quod Alcimus libertate Poëticâ, & Imitatione Plautinâ, qui per florem Liberi, vinum optimum intelligit, Balſamum noſtrum florem nominet, eò ejus bonitatem indigitans authore Barth. Adverſa: L. 34. c. 10. p. 1563. ſed inferius ex illo*

Poëtâ

Pöetâ plùra. Deinde ut per balsamum nostrum, non tota arbuscula, sed in specie Opo balsamum, *Succus olim Auro æquatus Alsted. Encyclop. L. 13. d. Phys. p. 5. c. 5. p. 735. in quo adstipulatorem habet Cardanum, L. d. subt. 8. p. 553. qui immerito ideircà à Scaligero vapulat, exinde colligente, Cardanum statuere jam nòn esse in pretio in Exercit. ad Card. 157. tit. 1. p. 519. cum tamen alia Cardani sit ratio evilescentis pretij ejus scil. defectus quem statuit ut inferius pluribus*; intelligatur; quanquam Authores non adeò anxios hâc in re observare liceat: *Sic enim Virgil. L. 2. Geor.*

Balsamaq; & Baccas semper frondentis Acanthi

quicquid Servius in contrarium adferat, ibi Balsamum pro totâ arbusculâ sumit, quem Gal. imitatur L. 1. d. Antid. p. 379. nom. 40. de quo loco inferius, & Schrœd. in Ph. FF. l. sup. cit. ubi affert Balsamum Syriacum lentisci folio &c. & Smet. L. c. p. 497. ubi arbores balsamiferas in classes distinguit Hoffmannus L. & Med. Off. 2. c. 30. pluresq; alij. Accurate autem Arbuscula δενδροβάλσαμον vid. sup. cit. Auth. dicenda est Succus de quo nobis Sermo ὀποβάλσαμον Aus. Pop. Fris. de diff. Verb. p. 310. Moeb. l. c. Fuchs. Paradox. Medic. c. 41. p. 96. Gal. l. c. *ab* ὄπος *succus secund. Theophr. l. c. licet Galeno in Lex. Hipp.* κατ᾽ ἐξοχὴν *sit laser; & Plinius per* ὄπον *lacteum tantum succum intelligat: unde* ὄπιον *succus ex scapo papaveris inciso stillans, atq; ut* μηκόνιον *ex capitibus & folijs coctis expressus nomen ducunt Dios. L. 4. c. 65. ex quo varià sic dicta Balsama somnifera prostant, quorum seriem vid. ap. Senn. Med. Pract. L. 1. p. 2. c. 1. p. 238. & seq. & de quo curiosissimum scripsit tractatum VVedelius.* Fructus ejus καρποβάλσαμον Aus. Pop. Fris. l. c. Gal. L. 6. de Med. Fac. p. 61. *qui illum bonitate inferiorem succo, sed ligno superiorem affirmat, ipsiq; & ligno caliditatem & siccitatem in 2 gradu attribuit; sed in usu non esse, nisi in paucis compositionibus notat Schrœd. l. c. dicitur & Semen Salm. in Not. ad Pancir. l. c.* & Lignum

 ξυλοβαλ-

ξυλοβάλσαμον, *quod albidum, sine sapore & odore, de quo in Thymiamate Sacro inferius. Francis. in Hort. Sin. p. 1. p. 880.* Temperiem ei adscribo caliditatis scil. & siccitatis ex Gal. L. 6. d. Fac. Med. p. 61.

Arbusculam nomino I. secutus Bertin. in Medic. Method. L. 18. c. 5. p. 477. Id. E. & alios: deinde ad conciliandum Authores, quorum quidam Arborem dicunt, Cœl. Rhod. l. c. ex Pausan. in Boëtic. Tacit. L. 5. Ann. Bellon. L. 2. Obser. c. 39. 40. *qui de illis quod folia novâ hyeme emittant, corticemq; duplicem habeant exterio rem rubicundum, interiorem viridem.* Dapp. in descr. Arab. p. 339. Gerl. in Diar. Tur. p. 226. *qui notat illam altitudinem 5. Ulnarum superare, & cortice unico fulvo scil. & odorato tectam esse.* Quidam fruticem s. Virgultam Mœb. l. c. Salm l. c. *qui intra bina cubita proceritatem ejus consistere ait ex Plin. l. c.* Dracontius versiculis sequentibus

Et nimis Ambrosiâ plorant virgulta per agros
Balsama cæsareos lacrymædant munus odores

quem ultimum Barthius l. c. improbat, restitutum vid. infer. sub odore, Altsted. l. c. Quidam Plantam ut Cardan. l. c. Gal. 6. d. Fac. Med. p. 61. & alij *sed laxissimâ plantæ significatione.* Omnes tamen in eo conveniunt re, licet verbis differant, èsse balsamum aliquid majus frutice, & aliquid minus arbore hinc arbusculam dixi. Formam illi nullam adsigno, quia nec in illâ inter se conveniunt. Jesemino similem putat folio Sambuci Card. l. c. cui repugnat Scal. l. c. Viti similiorem quam myrto facit Plin. L. 12. c. 25. Piniformem Justin. L. 16. alij aliter. Omnium verò, quos quidem legi Authorum, descriptio Arboris illius, commodè ad tres subsequentes attrahitur. Quartum I. Plin. qui L. 12. c. 25. Viti Similior est quam Myrto, Seritur malleolis ut Vitis, colles implet vinearum modo, (*& hinc forsan Vallis Engaddi i. e. Vallis Vinearum Jos. Antiq. Jud. l. c.*) sustinet se sine ad miniculis, intra tertium annum fructifera,

intra

intra bina cubita proceritas consistit, inter Unguenta & odorata primum est. 2. est Steph. Gerl., quam Ejus Domino (*Baroni Ungnadio, qui Orator Imperatoris Maximiliani ad Turcam, & cujus Ipse Concionator Aulicus*) Minister quidam primarius natione Arabs Sanságbegi de Mecca (*qui jam Scheik dicitur*) anno 1576. *qui multum Balsami Constantinopolim secum ferebat*, bonâ fide communicavit. Est vero talis. Crescit in locis arenosis, quæ Bederhunin dicuntur, mediâ viâ inter Meccham & Medinam, per milliaris Germanici longitudinem, instar arboris Persicæ, multis ramulis, altitudine 5. ulnarum, folijs buxi, sed incisis, cortice fulvo, odoratoq;: reliqua locis convenientibus. 3. est Smetij in Miscell. Med. L. 9. c. 106. p. 497. & seq. *quam ex variis concinnavit authoribus*, qui arbusculas illas dispescit in tres classes. Primi ordinis nominat Trachij, quæ sunt scabro aspectu, incurvæ fruticosæ, odoræ, & efficaciæ optimæ: secundi ordinis dicit Eumeces, reliquis proceriores, flavo cortice, bonitatis intermediæ: tertij ordinis nominat Eutherista, tenui & capillaceâ formâ, & ratione bonitatis novissimas. Quas reliquas apud tàm Veteres quâm recentiores invenire licuit, omnes his conformes invenimus.

Arabicam arbusculam indigito, quia licet multi illam pro indigenâ Judaicâ habeant, ut Plin. *qui l. c. illam Solum in Judæâ in Campis Hierichuntinis (quos Strabo L. Geogr. 16. Hiericos dicit) crescere affirmat*; quod forsan ex Josepho Antiq. Jud. l. c. hausit, *sed non benè intellexit illum, utpote qui, l. c. L. 8. c. 6. expresse scribit: Reginam ex Sabâ (cujus Posteros se hodiernè Abassia Reges, quos falso* Priester Johann *dicunt, nominant. vid. Giacom. Baratti in Noviss. Desc. Abass. & F. Bernier in Descr. No. Ind. Or.) (quæ regio teste Hoffm. l. c. & Arabia Nabathæa veterumq; & hodiernorum Petræa s. Arabia de Mecca vid. etiam Ol. in Leg. Pers. L. 4.) Salomoni eo tempore, quo Hierosolymis fuit*, plan-

plantas harum arbuſcularum dono attuliſſe; qui illas campis Hierichuntinis, & quidem valli Engaddi, quæ undiq; ſcopulis circum ſepta, & in circuitu 200. jugerum erat Juſtin. L. 16. ſummo cum fœnore concredidit. Cauſam vero ejus excidij, *nam exciſas eſſe præter alios etiam ex Neotericis* αὐτόπτης *teſtatur Neidſchitz. in Itin. 7nali L. 7. c. 16.* Turcarum in vidiam, ne ex copiâ vileſceret; & ſorditiem, quâ omnia peſſum ire permittunt, non ſine fundamento aſſerunt Pancir. l. c. & alij Multi illi Ægyptum Patriam aſſignant in quam tamen teſte Joſ. & Plin. l. c. demum â Cleopatrâ, annuente Herode translata eſt vid. etiam Plutarch. in Vit. Anton. *ubi & Patrum noſtrum Memoriâ, in loco El Mathario dicto, prope Cairum ſito Dap. Diſ. Arab. p. 339. Bell. l. c. Franciſ. Hort. Sin. l. c. floruit. Quapropter, ubi tempore Petri Martyris vid. Legat. Babil. L. 3. p. 90. & tempore Sereniſſ. Ducis Radzivilij vid. Ejus Itiner. Orient. fuerit. equidem ignoro; niſi forte caſu ut ſæpius exaruerit nec dum ex Arabiæ Solo patrio reſtauratum fuerit: quicquid Citatus Martyr. l. c. & cum illo Genebrard. Chron. L. 2. in Tito. Paul. Jov. Hiſt. L. 17. poſt med. Baron. Ann. j. no. 46. Caſal de Ritibus Chriſt. c. 42. ogganiant de fonte D. Mariæ ſacro, quo ſolo irriguus vireat hortus, per Judæos vel Mahumetanos inquinato; quod ipſum, quia & Cardano l. c. ridiculum videbatur, fortem ex Nilo ſubſtituebat: ſed undenam Nilus in Palæſtinam & Arabiam?* Cauſa itaque ordinaria eſt unà cum illâ quæ Balſamum ex Judæâ expulit vid. Zvvinner. in Flor. Palæſtin. L. 2. c. 5. Re tamen bene penſitatâ, & Hiſtoriâ adductâ accuratiùs inſpectâ, fatendum erit, in ſupranominatis regionibus, Judæâ ſcil. & Ægypto, tantùm advenam, in Arabiâ verô indigenam eſſe. Hoffm. l. c. Smet. l. c. Joſeph. Ant. l. c. Gerla. l. c. *qui locum ſpecialem in quo creſcit Bederhunin dicit:* Accedit præterea, balſamum in peregrino ſolo coactè, & non niſi multo labore provenire; in Patrio verò Arabiæ ſolo, licet arenoſo, ſpontè, & incam-

incampis desertis crescere: *nisi quod jàm ob Avaritiam Supremi hujus Arabiæ Domini, Scheick ipsis dicti, hortis includatur, ex quibus sine ipsius consensu nemini vendi possit; cum ipse interim quotannis, per Societatem Mecchami & Medinam ad Sepulchrum Mahometis peregrinantem Turcarum Imperatori 3. l. 4. ℔, Bassæ in Cairo 1. ℔, & Primario Societatis, ipsis Caravan Bassa dicto, ½ ℔ dono det Dapp. in Des. Arab. l. c.*

Colligitur verò hic Succus ex Arbusculæ cortice vulnerato. An verò hæc vulneratio fiat ferro, ut vult Gerl. l. c. qui expressè cultrum nominat: Dracontius etiam in versiculo.

Balsama Cæsareos lacrymæ dant munus odores

quem, quicquid alij de Cæsareo, i. e. summo & primario odore dicant, versiculum sic corrigit Barth. l. c.

Balsamà Cæsa sacros lacrymæ dant munus odores

ejus vulneratione ferro factā respiciens. Sed illis se opponit Tacitus *L. 5.* Ann., qui ferrum reformidare balsami arborem, & testam argillaceam, vitrumq; ejus vicem obire testatur: *ob convenientiam forsan materiarum, quæ in utrisq; terra.*, *l. ut Francis. Hort. Sin. l. c. putat, ut eò major succi copia eliciatur. quale quid in hæmorrhagiâ vulnerum vitro factorum videre est: sed hæc hìc quadrare nullus video vid. Linnem. in Delic. Calend. Quæst.* Claudianus autem in Epithal. Palladij, ungvibus hæc fieri prodidit: qnod tamen secundum Dioscor. l. c. de ferro ungvi formi intelligendum erit. Quia verò moderni nihil de illo, nostrum etiam judicium suspendimus.

Nec intempore quando colligitur, Authores conveniunt. Quidam, inter quos Alcimus l. 1. de Parad. putant eum pertotum annum fluere: sic ille.

Perpetuum promit pingui de stipite florem,

ut eum explicat Barth. Advers. L. 34. c. 10. p. 1563. Quidam mensē Decembrem pro tempore collectionis constituunt: Francis. in Hort. Sin. l. c. ex Bellon. & alijs. Quidam Aprilem. Gerl. l. c. & quidem per aliqvot saltim dies, adeò ut fæcundissima Arbor uno anno non ultra 15. ℥mas largiatur; idq; ob supervenientem calorem, qui fluxum statim cohibet: quid verò ex hisce verissimum,

simum,

simum, nostrum vix erit judicare; præsertim, cum & Authorum recentissimi, quos quidem vidimus, de illo taceant; nisi quod tempus vernum, ob copiam tunc turgescentis succi, aptissimum credi posset.

Sed & modus collectionis apud Authores variat. Quidam Getl. l. c. & alij, vasculis suppositis excipi illud scribunt: quidam ut Smet. l. c. & alij, per lanam in cornua fluere referunt. Utra autem harum vera sit, nostrum tamen ex ijs assertum deduximus, illum scil. ex vulnerato cortice pro fluentem colligi.

Flavum illum esse dico: & quidem authoritate ferè omnium Authorum, qui de illo accurate scripserunt, & quos sæpius allegavi: cui colori tamen pelluciditatem addit Francis. L. c. p. 879.

Odorem ei fragrantissimum attribuo: quem & Nominis Etymon vid. supr. testatur, & Galen. L. d. Simpl. Med. Facult. 6. p. 67. non immeritò ex tenuitalte partium producit; *& ob quem nec putrescere nec vermescere illum credit Helm. L. Imag. Ferm. Impr. Mass. Sem. par. 12. 13. p. 92.* ex quo etiam externo de internâ ejus naturâ eò feliciùs judicamus. Verum hoc de recenti tantum intelligendum, inveteratum enim nihil olet Dapp. in Desc. Ar. l. c. vid. etiam Barclaj. in Argen. Contin. L. 1. c. 9. *Huic tamen fragrantissimo succo, ut hoc obiter inspergam planè contrarium est Balsamum Hottentorum, hominum ad Promontorium Africanum Capitis Bonæ Spei, quod nomen ipsi indidit Vascus Gama, Primus Indiarum Orientalium, sub Auspicio Regis Portugalliæ Detector, vid. Dapper in Descr. Amer. in Prol. & Bald. in Corom. L. 1. miserrime & more belluino viventium de quo vid. Schreyer Itin. Ind. L. 1. c. 12.* Exin etiam succus noster extra dubium Thymiamate sacro, (*ut Versiones Germanicæ & Belgicæ habent*) immixtus erat: *quanquam quomodo succus (nisi arboris lignum hic intelligatur & fructus ejus) pondere æquali, materiæ siccæ apte conjungi possit, ut liberè fatear - haud intelligo. Versiones Græcæ & Latinæ Stacten loco balsami ponunt: per quod vocabulum, quia omne stillatitium intelligitur, vid. Athen. L. 1. Suid. in voce στακτή Paul. Ægin. L. 7. nostrum balsamum etiam*

involvi-

involvitur. *Cur verò DEUS T. O. M. Thymiamate suo ingratos adeò odores, ut Galbanum, Os Purpuræ Byzantinæ, quæ ὄνυξ, de quo vid Diosc. L. 2. c. 10. L. 4. c. 62. L. 5. c. 153. & L. 1. c. 111. Plin. L. 32. c. 10. L. 36. 5. 7. L. 37. c. 6 L. 21. c. 18. Ægin. l. 3. c. 22. immixtos voluerit, juxta cum alijs ignoramus Vid. H. Vogle. d. Reb. Bibl. Med. p. 90.* Ungvento vero Sacro Exod. c. 30. 23. non immixtum legitur forsan qvia illud odoratissimum permanere debebat, cum Balsamum vetus rancidum evadat Dapp l. c.

Sapor ejus Subamarus & acris authoritate variorum supercitatot.

Pondere leve est, recens scil., quod optimum unde nec subsidet in aquâ, nec ei se miscet; *contrarium fit in inveterato Dapp. in d. Ar. p. 339.* Glutinosum deniq; esse plurimi supradictorum Authorum confirmant.

Reliqua descriptionis usum ejus Medicum indigitant: quod ne gratis dixisse videamur, authoritatibus communitum ecce damus. Et in genere, loco Panacææ ad prolongandam vitam (*in quo quantum, laborent Chinenses vid. Neuhoff. in Sin. Descr. de Balsamis vero Eorum, huc facientibus leg. Cleyerus Medicus Indo-Batavus in Specimine Medicinæ Sinensis*) ob bonitatem præpotentem, quâ sangvinem condit, substituit Illum Helm. L. Arb. Vit. p. 632. In Specie verò ad vulnera maximè recommendat (*sine ordine procedimus in recensendis affectibus quibus conducit*) ex propriâ Experientiâ Scal. in Excr. contr. Card. 157. tit. j. p. 519 quæ adeò aptè conglutinat spatio 24. horarum vid. Desc. Reg. Algir. Angl. Anon p. 389. ut & rugas & cicatrices tollat; quod & in mortuorum facie effectui dat; *unde etiam in Balsamatione interdum adhibitum est, & adhuc adhibetur: de quâ accuratum vide Tractatum Clauder. de Balsamatione sine Exenteratione, in quâ Balsium æmulatur:* Card. d. Subt. L. 8. p. 557. Venenis resistit Id. l. c. *adeo ut & viperæ (quæ teste Diod. Sic. Bibl. Hist. L. 4. odoratas arbores maxime amant) sub umbrâ ejus viventes, & succo ejus vescentes, vim venenosam penitùs perdant, nec quenquam accedentium morsu lethali ledant* Rhod. L. Ant. L. 18. c. 35. p. 1031. *lit. a.* *Hinc Anno 1640. cum magna Romæ quæstio*

 nasceretur,

nasceretur, an Theriacæ compositionem Balsamum ingredi deberet, Petrus Castellanus, Medicus Illustris, à Pontifice M. arbiter electus, meritò à parte affirmantium stetit vid. Hoffm. d. Med. Offi. L. 2. c. 30. Renum lapidem comminuit Dapp. l. c. Card. l. c. Oculorum maculas delet Card. l. c. imo cœcos ipsos juvat, ut & auditu læsos instillatum Dapp. l. c. Rigoribus febrium resistit Dap p. l. c. p. 339. odoris svavitate cerebrum, & omnes sensus reficit & roborat Diosc. & Gal. l. c. in Peste præservativum summum est, & curativum, ad ℈j assumptum Dapp. l. c. Spasmum curat, Phtisin, Epilepsiam & Paralysin; Tremori artuum succurrit, Tussim sedat, Anginas tollit, stomachum infrigidatum restituit, ventosq; dissipat Dapp. l. c. dentibus etiam impositum dolores sedat Gal. de Comp. Med. sec; loc. L. 5. p. 12. l. 45. *Quæ omnia etiam speranda à Ligno ejus & Fructu, sed in minori efficaciâ Dap. l. c. Gal. l. s. Smet. l. c. Gerl. l. c. & alij & hæc omnia sine ullâ noxâ brevique tempore peragit.*

Usui quem in Medicis ostendimus, adjungimus in super pondium illum quem obtinet in alijs. Primùm occurrunt Res sacræ, & in his Chrisma (*quod tamen diversum intendimus à Turcarum Chrismate s. Rusmate quo pilos evellunt vid. Spon. in Deser. Constant. L. 1. p. 54.*) tàm Pontificiorum, Græcorum, quàm aliorum Christianorum; *cujus totam Historiam lege ap. Fehlav. in Comment. ad L. Angeli de Ritib. Græc. Notat. 405. ad cap. 24.* quod ex oleo & Opobalsamo conponitur, & quotannis secundum constitutionem Fabiani Pont. M. comburi debet in Cœnâ Domini, iterumq; renovari Polyd. Verg. de Ret. Invent. L. 5. c. 3. p. 392. lin. 29. & seq. *apud Armenios omni septennio renovatur Tavern.: In Itin Pers. L. 4. c. 12. Balsamationem Aquæ Armeniorum & Græcorũ leg. ap. Olear. It. Persico L. 1. & 4. & Tavern. l. c.* Oleum verò infirmorum balsamum non ingreditur, ex jussu Concilij Niceni j Can. 68. *Modus autem inunctionis in morbis loco medicaminum, & unde orginem traxerit vid, ap Barthol. L. d. Morb. Bibl. 27.* 2. Usus ejus etiam relucet in Ungendis Pontificibus & Regibus Exod l. 2. Sam. 20. Pol. Verg. l. c. *cujus explicationem Theologis relinquimus, ne falcem in alienam messem immittamus.* 3. Non infrequens ejus erat usus in Lampadibus Ecclesiæ Romanæ, & quidem ex Municifentiâ Constantini M. Tom. j. Concil. in Vit. S. Sylvest *quarum usum vel ab Ethnicis in genere, qui & adhuc templa, aliàs obscura ob Majestatem Numinis præsentem, lampadibus illuminant vid. Bald. De Idol. Brach. Mandelslo Itin. Ind. L.*

Ind. L 2. & Alij: quantum etiam in reliquis ceremonialibus, cum hodiernis adhuc Gentilibus conveniant, non negante Scriptore Pontificio Casal. de Rit. Vet. Christ. c. 42. videridicula in Dapp. Americ. L. 1. & Bald. Corom. L. 1. vel in Specie, Eleusinijs Græcorum Rhodig. Antiq. L. L. 13. c. 26. Neuhus Exam. Philol. p. 173. vel februationibus seu Lustrationibus Romanorum Plin. L. 25 c. 30. Ovid. L. Fas: vel onerosis Judæorum Ceræmonijs Exod. c. 27. &c. retinebant; vel necessitate introductum (quia in prima Ecclesiæ persecutione, nocte ad candelas convenire cogebantur) non mutabant, verum pro necessario, non adiaphorico ut Nostri putant, deinceps habebant.

Rebus Sacris adjungo Profanas: Et hic usus ejus non ignobilis. Quanti enim Balnea apud Antiquos tam Barbaros quàm Romanos; *Prussos non excludo Hartknoch. in Diss. de Prus. 15. p. 267.* habita *quæ ipsa & pensilia facere luxus edocuit Cajum Sergium Oratam Boter. d. Polit. Illustr. L. 7. c. 8. p. 492.* cui non notum? Et hæc balsamo non carebant: apud Divites scil.: Pauperes enim oleis contenti vivebant. *quæ habebant in Ampullis Olearijs Apul. Florid. L. 2. & ibi Colvius in Not. p. 173. quibus post balnea, quarum Rudera graphicè describit Kircher. in Lat. Vet & Nov. par: ter. c. 3 p. 148 & Joh. Hen. a Pflaumern. in Mercur. Ital. in Descr. Rom & Baj. & Rosin. Antiq. Rom. cum Not. Dempster L. 1. c. 14. inungebantur: qui mos & apud Judæos tempore Christi adhuc vigebat vid. Histor. Evangel. passim.*

Dato Usu progredimur ad Notas Boni, ex quibus adulteratum cognitu facile erit. Præter illa itaq;, quæ superius, requiritur etiam de Balsamo vero ut Lac coagulet, nec panno maculam faciat, Salm. l. c. ut gutta manui illita, tota ad alteram ejus superficiem penetret; ut gutta in manu Soli apposita ita ardeat, quò perpeti non possit; ut aquam non conturbet, nec se ei misceat Francis. Hort. Sm. l. c. ut in aqvâ non subsideat, sed subactum cum aquâ in manu, aquam instar cremoris tartari albidam à se propellat. Dapp. in Descr. Ar. l. c. Gerl. in Diar. Turc. l. c.

Tandem non incongruum est qværere an Veri adhuc copia detur. Hoc licet quidam supradictorum Car. l. c. ex Martyr. l. c. Smet. Miscell. Med. l. c. negent; ea tamen negatio Balsama tantum Ægyptiaca & Judaica concernit: sed in Arabia illum adhuc dari ex cæteris satis videre est. An verò sine Mangonio venale prostet in Pharmacopæis nostris de illo dubitandum; qnanquam enim Galen. L 1. d. Antid. p. 379. num. 4. neget Balsamum verum posse adulterari: experientia tamen, hic si ullibi, magistra, docuit, illud, ut pleraq; alia, ex Dissitis locis nobis apporta, adulterio non esse expers. Et succus quidem adulteratur Terebinthinâ Francis. l. c. quam tamen loco illius in Theriacâ admittit

Hoffm.

Hoffm. L. & Med. Off. 2. Lignum ejus Surculis Lentiſci ut demonſtrat contra Bell. Obſe. l. c. Lobel. & Tabern. L. 3. Herb. Sect. j. c. 18. Fructus verò Semine Hyperici Petræi Id. l. c.

Quibus omnibus ultimò adjungimus Subſtituta ejus, ſic in Officinis dicta quæ loco illius veri ſubjciuntur. Sed & hic magna Aurhorum & Negantium & Affirmantium diverſitas. Card. de Subt. L. c. Scal. Exer. l. c. Smet. Miſc. Med. l c. & moderni quidam Americana Balſama ſubſtituunt; ut Balſamum de Tolu de quo leg. Monard. Hiſt. Simpl. Medic. c. 10. Balſamum ex Copaiba, *quod ut plurimum à Batavis Mercatoribus Europæ infertur* de quo vid. Maffej. L. 2. Hiſt. Ind. p. 7. Balſamum ex Cabureiba de quo leg. Marchgr. Hiſt. Plant. L 3. c 17. Piſon. Hiſt. Nat. & Med. L. 4. c. 4. 5. Balſamum Goaconax de quo Benz in Hiſt. Ind part. 2. c. 16 ex Ovied. Hiſt. Ind. L. 10. c. 3. Scal l. c. Card. l. c. & alia balſama de quibus lege Franciſ. in Hort. Sin. part. j. p. 569. & ſeq: ratione adductâ, quod eundem cum Arabico effectum poſſideant. Sed Objiciunt Hoffm l. c. Author. Hiſt Nat. Ind. Occi. Anon. L. 4. c. 28. & alij Americanum balſamum non poſſe Arabico ſubſtitui: quia 1. differunt ratione arborum, in quibus creſcunt: quæ Arabico parvæ & Graciles inſtar vitium, Americano juſtæ proceritatis inſtar Granatorū; 2. Arabicum Balſamum non tàm copioſe ſudorem ſuum largitur ut Americanum; 3. Arabicum ſolùm per inciſionem, Americanum verò etiam per coctionem & expreſſionem elicitur; 4. In Arabico ſolò tantùm inſit virium, quantùm in reliquis conjunctim. Si itaq; hic quidquam ſtatuendum, illud eſt: omnia ſcil. Americanorum Balſamorum Genera, ſimul ſumpta poſſe quodammodo ſubſtitui Arabico ſoli; *an verò hoc in Officinis fiat, Pharmacopæi viderint.*

Nos ad finem, & in ſuperpondium addimus quaſdam Herbas ſeu Plantas à Balſamo nomen deducentes. Ut plurimum propter odorem, minimè propter vires. 1. eſt Caſſia βαλσαμώδης Plin: L. 12. c. 19. 2. Balſamina Cardani, arbor æmulans verum balſamū, cujus & vires poſſidet in curandis vulneribus, fructu facilè fragili & rubro Halicacâbe ſimili vid d. Subt. L. 8. p. 556. 3. Balſamina Bertini, ſive Siſymbrium, ſ. Mentha Aquatica, cujus naturam ille accuratè deſcribit in Medic. Meth L. 18. c. 5. p. 477. lit. E. 4. Balſamina herba, quæ & Viticella, quam egregie deſcriptam vide in Matth. c. 177. de Vite Nigra L. 4. Dioſc. 5. Demum nec Pruſſia noſtra herbâ balſameâ quoad nomē caret, quæ eſt balſamine lutea, noſtris Hirſchmilde dicitur, creſcit hinter dem alten Wallein locis Umbroſis vid. Lœſel. in Cat. Pl. in Pr. Sp. Naſ p. 7. Cætera ejus generis inquirantur apud Authores.

(:o:)

...uesitis [illegible] ditatis publicae, vel Ecclesiae [illegible] postulanda,
...ra potestne dispensare sine Causa?
Pontifex non vero Episcopus: quia est supra jus
commune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
...inaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
...eo cum ipso dispensat. —— in κονφεσιονε ατι εγο εδεςει

ex S. Bernardo

Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est.
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est,
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est.

quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe ratum remanet reservatum.—

causa parentum.—